Quelle: https://manuscripta.at/?ID=772
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

sed a proximo corrigatur. Si autem et post ammonitionem
iterum eum in aliquo id ipsum facere videritis iam velut vul
neratum sanandumque prodat. Quicumque hoc potuit invenire
prius tamen ut tercio demonstratum ut duorum vel trium possit ore
convinci. et severitate aptissima coherceri. Nec vos iudice
tis esse malivolos. quando hoc indicatis magis innocentes
non estis. si fratres vestros quos indicando corrigere potestis ta
cendo perire permittitis. Si enim frater tuus haberet vulnus in cor
pore quod vellet occultare dum timeret secari nonne
crudeliter abs te celaretur et misericorditer indicaretur.
Quanto ergo eum potius debes manifestare. ne deterius putrescat in
corde. Sane antequam aliis demonstretur per quos convin
cendus sit si negaverit. prius preposito debet ostendi. Et si am
monitus neglexerit corrigi ne forte possit secretius correctus
non innotescere ceteris. Si autem negaverit tunc nescien
ti adhibendi sunt alii ut etiam coram omnibus possit non ab u
no teste corrigi. sed a duobus vel tribus convinci. Convictus
vero secundum prepositi vel presbyteri ad cuius dispensationem pendet arbitri
um. debet emendatoriam subire vindictam. Quam si ferre re
cusaverit etiam si ipse non abscesserit proiciatur de vestra
societate. Non enim fit crudeliter sed misericorditer ne contagi
one pestifera plurimos perdat. Vicia non celanda.

Et hoc quod dixi de oculo defigendo etiam in inveniendis
prohibendis. indicandis. convincendis. vindicandis
que peccatis. fideliter et diligenter observetur cum dilectione
hominum et odio viciorum. De literis et munusculis occulte non accipiendis

Quicumque autem in tantum progressus fuerit malum ut occul
te ab aliquo litteras vel quelibet munuscula accipiat